

parentis majores, et majores, quibus alter alterum in cœlo superetis. Et vobis enim dictum est: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei, Apoc. II.

## CONCIO XIV.

## OFFICINA CONJUGII MUTUA, IN VIRO SEMINANTE ET UXORE PENSENTE.

Non levis momenti est, quod in veteri lege Deus præcepit Hebræis Deuter. XXII. *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea.* Voluit enim dicere, virum non decere opera muliebria, nec mulierem opera virilia, ut exponit Sanctus Ambrosius, in ep. ad Irenæum XV. Nam ut recte Oleaster ibidem ait: « Corrupte valde communitatem solet, si promiscua vasa permittantur viris et feminis. Alia sunt, quæ virum, alia quæ feminam decent. Decet feminam colus, decet acus, reique domesticæ cura. Sunt etiam sua munia viro, quæ si confundantur et misceantur, ordo destruitur, et politia evertitur. Quamobrem officia sua curet. » Si qua mulier gladio se accingeret, aut sclopeto humeros oneraret: vir e contra colum gereret aut fuis pensa devolveret, quanto risui se exponeret? Hujusmodi morem ferunt fuisse in orientali provincia Tien, aliis Tiben, ubi uxores externa negotia tractabant, viri autem domi infantes fovebant, pensa ducebant, et similia, quæ mulierem sunt, agitant, teste Marco Paulo et Odorico apud Beriosium, tit. conjugium. Quare quid potest esse turpius magisque ridiculum? Sciendum igitur vobis est, novi pater et materfamilias, quæ sint vestra munia. Ea vero explicat Christus Dominus in duplici illa parabola, de grano sinapis et fermento, Matth. XIII. ut annotavit D. Petrus Chrysologus, serm. XCIX. scribens: *Vir in agro sinapis græcum sedit, domi mulier fermentum procurat, et panes præparat alimoniam; quia virum foris expectat labor, intus mulierem domestica cura constringit.* Quapropter juxta hanc utramque parabolam unius et alterius officium examinemus pro solatio et documento conjugum.

I. Viri agricolæ est foris in agro et silvis laborare, necnon forensibus negotiis operam dare: uxoris est domi hære, farinam miscere, panes ac cibos parare, aliæque domestica negotia curare; quod docetur illa parabola, quam, ni fallor, ob causam Adam extra paradysum ruri, Eva intra paradysum quasi intra domum efformata fuit. Quo etiam spectant duæ illæ parabolæ Christi, Luc. XVI. una de ove perditâ,

foris quæsita a viro; altera de drachma amissa et reperta in domo a muliere. Foris ergo negotiari et panem quærere jubentur viri: mulieres vero domi. Quod etiam natura ipsa dictare viro voluit, cum ipsi barbam seu pilos circa mentum dedit, non mulieri; qui illum foris agere et cœli injurias, ventos, imbres, nives, frigora sustinere, hanc vero domi manere oporteat; uti notavit Galenus, de uso partium. Hæc doctrinæ exemplum adducit Sanctus Ambrosius, libro I. de Abraham, cap. V. in Abrahamo et Sara, cum ad eos diverterunt tres illi peregrini; erant autem angeli. « Ante tabernaculum, inquit, vir hospitium explorat adventum: intra tabernaculum Sara tuetur feminæ verecundiam et opera muliebria tuto exerceat pudore; foris maritus invitat, intus Sara convivium adornat. Nec solum ipse festinat Abraham, sed etiam festinandum dicit uxori sociam devotionis ostendens, nec fide disparem. » Propterea Deus benedictionem domui illi impertit, filium promittens, quia uterque conjux munus suum explevit. Naturam igitur invertunt viri cum ea omittunt, quæ foris agenda sunt: mulieres vicissim, cum in alienas domus irrepunt et foris vagantur, quæ domi portæ testitudines esse deberent, qua infamia notat Ægyptios Pomponius Meta, asserens mulieres eorum foris agere negotia, et forum frequentare, viros intra domum pensa ducere: illas in humeris, viros in capite onera gestare; quod quam absurdum sit natura ipsa ostendit.

II. Viri est semen in agro spargere, hoc est salutaria monita familiæ instillare, adeo ut Sanctus Augustinus, tract. LI. in Joan. quasi episcopale ei officium in domo ipsius deferat, quo: *Suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam.* Porro episcopi pedum seu pastorem baculum gerunt, qui, ut Durandus in rationali suo exponit, in capite unicum, in pede cuspidem gerit: unicum ad morigeros subditos attrahendos, cuspidem ad pervicaces et rebelles depellendos. Idem hoc officium boni patrifamilias est. Bonos ad familiam suam accersat, reprobos expellat, exemplo Davidis, qui Psalm. CXX. ita loquitur: *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ.* Utique ad lustrandam familiam, et quo regimine? *Non adhæsit mihi cor pravum: declinantem a me malignum non cognoscebam. Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar. Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam.* Denique: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam,* ait. Hos igitur domo exclusit; quos ergo recipit? *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum: ambulans in vita immaculata hic mihi mi-*

nistrabat. Hujusmodi etiam paterfamilias fuit Thomas Morus, Angliæ cancellarius et auctoritatis apostolicæ defensor, qui familiam suam adeo in virtute et pietate instituit, ut de ea scripserit Erasmus Rotherodamus: *Domus Mori schola est; gymnasium christianæ religionis,* teste Staplet. in vita Mori.

Porro semen disciplinæ, quod in familia seminandum est, granum sinapis sit, hoc est efficax et nervosum, cum acrimonia, et metu castigationis, necnon bono patrifamilias præeuntis exemplo conjunctum; quod tamen materfamilias mitigare et farina aspergere debeat: sicut Esther regina blanda oratione placuit iram regis Assueri: familia in hero quidem sentiat patrem severum, in hera vero patrem pium.

III. Viri patrifamilias est labore agriculturæ suæ familiam sustentare (quod monet illa seminantis parabola.) Eo enim spectat quod apostolus ad Ephes. V. scribit: *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed fovet et nutrit eam, uxorem scilicet de qua loquitur; necnon et familiam, quæ membra patrifamilias sunt.* Unde qui familiam alit et conservat, seipsum alit et conservat: et nisi hanc sustentet, seipsum perdit. Præclare idipsum docet Sapiens Proverbiorum, capite XXI. *Diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædificet domum tuam,* hoc est ut familiam augeas prole, servis et opibus, sicut exponit Jansenius. Alioquin eveniet ei, quod idem Salomon pigro prædicat Proverbiorum VI. *Paululum conferens manus, et venit tibi quasi viator egestas, et pauperes quasi vir armatus. Si vero impiger fueris, veniet ut fons messis tua, et egestas longe fugiet a te.* Hujusmodi impiger paterfamilias fuit Jacob patriarcha, qui Genesis XXXV. se suosque domesticos ad laborem pium excitans: *Surgite,* inquit, *et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo,* hoc est sacrarium ad orandum et sacrificandum. Non ait: *Surgite et ascendite,* sed: *Surgite et ascendamus,* seipsum præbens in ducem et socium operis faciendi.

Uxor porro juvet maritum in alenda et conservanda familia, ut dum ipse foris agrum excolit, ipsa interim domi farinam misceat et panes pensat, quibus maritum fessum ex agro reversum, prolem quoque ac familiam reficiat. Idcirco enim e latere Adæ formata est, ut latus ejus stipet et quasi fessum sustentet. Unde in adjutorium viri creata est: quod Chaldæus ita vertit: *Faciamus ei quasi sustentaculum, quod sit penes eum:* quale scilicet gerunt in manu, qui graves sarcinas portant, scipionem aut fulcrum, quod supponunt sarcinæ, et beneficio illius subinde interquiescunt. Quam ob causam etiam a

Sancto Chrysostomo, homil. XXVI. in lib. ad Corinth. *Portus viri* appellatur, in quem se recipiat ex laboriosa navigatione. *Portus,* inquit, *est mulier et maximum securitatis remedium.* In portu expectantur naves onerariæ, et bombardarum læte excipiuntur sonitu buccinisque; ita uxor virum e laboribus revertentem et fessum cum omni humanitate suscipiat mensa instructa, lecto composito, hypocausto calefacto, etc. Sic mutuis obsequiis ædificabunt domum sibi, necnon altare Deo.

IV. Viri est cum uxore bene consentire: uxoris vero, ad viri voluntatem ac mores sese conformare; quod videre est in proposita parabola; siquidem vir sinapi, granum acerrimi saporis, seminasse, mulier vero fermentum, et ipsum valde acidum miscuisse farinæ dicitur. Uterque igitur conjux circa rem consimilem, amaram scilicet se occupat: vir sinapi in agrum, mulier fermentum in farinam mittit: uterque ad parandum victum intentus est. Cæterum prius inducitur vir seminans, postea mulier pensens, quasi viri exemplo mota et ipsa operari in simili studio cœperit. Id quod decet uxores, ut maritis suis in rebus honestis sese accommodent; ut monet Aristoteles in œconomicis: *Existimare debet uxor, inquit, mores viri esse legem, et formam vitæ suæ impositam a sibi Deo.* Quare si ad rem divinam s. confessionem, eommunionem, aut concionem pergat vir, comitetur eum uxor. Propterea et huic et illi suam utrique proposuit parabolam Christus, de viro unam, de muliere alteram. Alibi etiam Samaritanæ petenti aquam vivam, respondit: *Voca virum tuum,* Joan. IV. quasi æquitas postulet, ut mulier non sine viro cœlestis doctrinæ aquam biberet, cum sint una caro. Enituit hæc unanimitas in Elisabetha et Zacharia conjugum. Quæritur ab illa, qui vellet appellari filium, et respondet: *Vocabitur Joannes.* Interrogatus etiam Zacharias, et in id nomen conspirans exclamat: *Joannes* est nomen ejus, Luc. I. Sic, christiani conjugum unam habent vocem, unum cor et animum.

V. Denique viri est, labores in se suscipere: leviores uxori permittere. Ideo vir arans, mulier autem domi pensens proponitur: et ille quid in terram, hæc farinam subigens. Neque hoc mirum videri debet, cum natura viro majores vires dederit; ideoque apud Latinos vir a vi et viribus nomen obtinuerit: mulier vero a molitie, quasi mollior nuncupata sit, teste Varrone. Turpe et prodigiosum foret, si vir domi ad colum sederet, uxor foris pugnans arma gereret: vel si vir fermentum farinæ commisceret, uxor stivam tenens aratro terram proscinderet. Hoc

etiam multum, illud parum laboris habet. Quam ob causam, ni fallor Psalm. CCXXVII. comparatur uxor viti, maritus autem oleæ: *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Vitis fragile lignum est, ideo hiemali frigore facile læditur: unde alicubi per hiemem terra operienda est. Olea vero durissimo ligno constat; ideoque tam hiemali quam æstivo tempore viret, nec frigore necatur. Unde antiquis æternitatis typus fuit, teste Pierio, in hierogl. Recte igitur uxor viti, vir oleæ comparatur; quia illa velut infirmior, fovenda calore et sublevanda fulcien- daque est, ob partus labores et proles lacte nutriendas, etc. Hic autem velut robustior austeritatem frigoris, et labores duriores facilius ferre potest. Jure igitur hos suscipere in se, leviores vere in uxorem rejicere debet. Quod si fiat, quid sequetur? Subdit Psalmista: *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Benedicat tibi Dominus, ex Sion et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.* Quam enim benedictionem vobis quoque novis conjugibus precor et exopto.

## CONCIO XV.

CUR SÆPE INFELICIA SINT CONJUGIA, EX DEFICIENTE IN NUPTIIS VINO.

Solent quidem nuptiæ cum lætitia celebrari, choreis exhilarari, dulciariis et deliciis condiri uti de se quoque testatur sponsus ille cælestis, Cantic. V. *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo.* Verum ea lætitia brevi admodum durat, et quod pejus est, sæpe in tristitiam et luctum nimis cito desinit. Quemadmodum enim in nuptiis Canæ Galilææ vinum quidem adfuit exhilarandis animis, ad initium convivii; sed paulo deficit, adeoque pauperem sponsum in angustias conjecit; ita fit non raro, ut extrema gaudii nuptialis luctus occupet. Expertus id Samson, qui et ipse nuptias suas cum favo mellis reperto in ore leonis et comesto inchoavit, Judic. XIV. luctuoso tamen fine clausit, quando a sua sponsa proditus ac denique omnino desertus fuit. Bene igitur Germani dicunt: Inchoans cogita finem. Quare sicut medici consiliis et præservativis suis magnatum ægritudines præveniunt, indicando eis pericula et incentiva morborum; ita ego futuris quibuscumque conjugibus causas ostendam, cur sæpe infeliciter succedant matrimonia, quæ cum gaudio inchoata fuere.

Prima est, quia sæpe incaute et inconsiderate

matrimonium contrahitur, quamvis sit status talis, qui nisi per mortem alterius conjugis deseri non possit. Unde S. Chrysost. orat. de muliere et pulchritudine, to. V. ita monet eos qui nuptias cogitant: « Omnia fac et satage, ut commodam, non modestam et obsequentem uxorem ducas. Nam si domus atque servos empturi curiose suscitamus et perserutamur vendentes pariter atque priores possessores, de illarum quidem fabrica, de horum autem et corporis habitudine et animi studio inquirentes: multo magis uxores ducturos tantam ac longe majorem etiam providentiam gerere oportet. Domum enim vitiosam et servum, si ineptus videatur, reddere venditori licet: uxorem vero ductam reddere iis qui dederunt, non licet. » Hic de sapiente illa muliere dicitur, Prov. XXXI. *Consideravit agrum et emit eum.* In amicitiam nostram non facile recipimus, quem prius non noverimus: quanto magis ergo dignoscendi sunt, qui in connubium assumuntur. Et sic Aristoteles, lib. VIII. eth. cap. III. dicere potuit: *Tum demum homines se invicem cognoscere, ubi prius mensuram salis simul comederint:* quanta cautione opus erit ad nuptias contrahendas cum persona incognita. Certe Jacob ille bonus aliquin Dei servus deceptum se deprehendit, quia de nocte sibi uxorem junxit, Liam pro Rachele, lippam pro speciosa, Gen. XXIX. Sic non raro errant, qui vel solas opes, vel genus, vel exteram speciem, non mores et virtutem in futura conjugum uxores velut carnes vitulinas emunt ad oculum non ad libram appensas, vel ob pecuniam digitis, ut loquitur Seneca, *ducunt.* Inde sequuntur miseræ illæ, jurgia, divortia, adulteria, rei familiaris dilapidatio: denique aqua pro vino in fine nuptiarum bibenda est. Consulto igitur monet Ecclesiast. VII. *Trade filiam tuam seu homini sensato da illam.* Quod imprimis egregie præstitit Abraham, cum Eliezer servum suum misit velut procuratorem ad quærendam filio suo Isaac uxorem, non ex opibus aut forma, sed ex bonis moribus cognoscendam, quam et servus post fusas suas ad Deam preces deprehendit: apposite dictus *Eliezer* hoc est *Dei adiutorium*, si quidem Dei auxilio confisus incidit in talem puellam, qualem Abraham optarat filio suo, Gen. XXIV.

II. Est, quia sæpe numero contrahunt cum imparibus ætate, genere, opibus, dignitate, religione, contra antiquæ illius legis præceptum morale: *Non arabis in bove simul et asino;* et illud Levit. XIX. *Agrum tuum non sere diverso semine,* verbi gratia, triticum cum hordeo; fiet

enim confusio granorum, ut nec triticum nec hordeum possint appellari, nec ad certum usum applicari. Quod in primis mutuendum, cum diversa est religio; de qua etiam Apostolus, II. Cor. VI. scribit: « Nolite jugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? » Facilius pervertitur justus ab impio, quam impius convertatur a justo. *Species illecebra mulieris,* inquit Sanctus Ambrosius, lib. I. de Abraham, cap. IX. *decepit etiam fortiores maritos et a religione fecit discedere. Et ideo tu vel amori consule, vel errorem cave. Primum ergo in conjugio religio quaeritur.* Certe Adamum ab Eva, Salomonem ab alienigenis uxoribus, Samsonem a Dalila, Achabum a Jezabele, Herodem ab Herodia seductum esse novimus. Liberi enim solent deteriorem parentem sequi; uti filii Hebræorum, qui a matribus Azoticis, nescierunt loqui Hebraice, II. Esd. ult. Grande etiam periculum dissensionis est, cum inter conjuges est disparitas in ætate, genere, opibus. *Malum est,* ait S. Chrysostomus, oration. de mulier. et pulchritudine, *pauperiorem uxorem ducere, malum item opulentiorum. Nam illud quidem facultatum detrimento virum afficit, hoc vero auctoritatis et libertatis.* Quare optime Ovidius, in Dejanira cecinit: *Si qua voles apte nubere, nube pari.* Sapuit et ille, qui uxorem accepit destitutam omni dote, cum multa se opulentæ offerrent: *Ne videlicet dotum fræno constrictus,* inquit, *uxori meæ nupsisse videar ego, et ita contra apostoli doctrinam, viri caput fiat mulier.* Refert Beierlink, in apophth. Chryst.

III. Est, quando in prohibitis nimis propinquitatis gradibus contrahunt. Deus enim hujusmodi nuptis, nisi sint urgentes cause propter bonum publicum, non solet benedicere, sed punit vel sterilitate, vel dissidio, vel aliis modis, uti scribit S. Greg. M. ad Augustinum, Anglorum episcopum, (uti refertur XXXV. quæst. III. cap. quædam lex,) *Experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere.* Divus etiam Ambrosius a quodam amicorum suorum consultus, an filium nepti suæ elocare posset severissime ipsum reprehendit, quod hoc cogitasset additque: *Oportet ab ea intentione discedas, quæ etiamsi liceret, tamen tuam familiam non propagaret,* Eph. LXVI. ad Paternum. Exemplo est Robertus Francorum rex, qui ante conversionem suam in pœnam illegitimi connubii, quod cum affine et commatre contraxerat, nactus est prolem collo, et capite anserino monstruosam. Unde perterritus conjugem repudiavit et deinceps sancte vixit, teste B. Damiano, in epist. ad Desiderium. Cæterum justis ex causis Ecclesia hu-

jusmodi conjugia prohibuit, quas recenset D. Thomas XXII. quæst. CLIV. a XIX. « Primo, quia naturaliter homo debet quamdam honorificentiam parentibus et cognatis, in tantum quod ut apud antiquos, ut Valerius Maximus refert, non erat fas filium simul cum patre balneari, » nec se invicem nudos conspicere. Secundo, quia personas sanguine conjunctas necesse est ad invicem simul conversari, sicque continuo haberent occasionem luxuriæ, nimisque emollescerent. Tertio, quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum, ut docet Sanctus Augustinus, l. XXV. civit. c. XVI.

IV. Quando contra voluntatem parentum, rationabiliter invidorum, vel reclamantium filii aut filia se despondent. Ratio, quæ id suadet est, quia parentes melius intelligunt, qui a liberis expediat, remque maturis expendunt quam ipsi. Unde S. Ambr. ep. XLIII. ait: *Maturiore consilio puella filio a parente traditur.* Ad hæc irreverentia quadam afficiunt parentes, qui rem tanti momenti insciis vel invitis illis adoriuntur: imo et injuriam eis faciunt; quia dant parentibus nepotes et hæredes, quos ipsi nolunt: quemadmodum ostendit parentes suos Esau, cum invitis illis duxit alienigenas, Gen. XXVI. adeo ut Rebecca mater dixerit: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth;* (quas acceperat Esau) *si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere,* Gen. XXVII. Propterea Scriptura curam elocandorum liberorum semper commendat parentibus; quorum consilio steteri in hoc boni quique filii, Isaac, Rebecca, Samson.

Verum si quis jam contraxit matrimonium, licet parentibus merito invitis, ratum erit matrimonium, nec a quoquam irritari potest: parentes etiam filiis suis errorem merito condonant, eo quod unusquisque sibi non alteri uxorem accipiat: *Quemadmodum enim tibicen sibi ad proprium tonum deligit tibias, et nauclerus pro suæ navis magnitudine remos: sic oportet ut deligat conjugem, aiebat Callieratidas, apud Stobæum, ser. LXVIII.* Ideo S. Ambr. ep. XLIII. cit. ad Silianum hortatur illum ne irascatur fratri, quod se invito duxerit uxorem. « Fuit quod succenseres filio, inquit, sed fuit etiam quod remitteres, qui sibi uxorem elegit. Adquisivisti filiam sine electionis periculo. Si bonam duxit, tibi acquisivit gratiam, si erravit, recipiendo meliores facies, refutando deteriores. Maturiore quidem consilio puella filio a patre traditur, sed majore obsequii proposito ad patrem ducitur; et a viro lecta ingreditur soceri domum, dum metuit, et filiis displicere judicium suum et nurus ministerium. » Et lib. de virginibus: *Cui licet maritum eligere, non licet*

*Deum præferre?* Denique libera esse debent matrimonia nec ulli obtrudenda est uxor, aut maritus: ne, si is contractus sinistrum sortiatur exitum, alteri quam sibi ipsi quisque culpam adscribat. Nec unquam bene succedunt coacta matrimonia; uti scite Plautina illa in sticho panegyris dixit:

Stultitia est pater, venatum ducere invitos canes:  
Hostis est uxori, invita quæ ad virum nuptum datur.

Propterea apost. I. Cor. VII. dixit: *Cui vult, nubat. Id est, inquit in eum textum D. Ambros. quem sibi aptum putaverit, illi nubat: quia invitæ nuptiæ solent malos proventus habere.*

Quando malo fine matrimonium contractum fuit. *Si enim oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit,* ait Dominus, Luc. XI. Oculus hic intentio est, quæ si bona fuerit, totum matrimonii statum condecorabit secundabitque; si vero mala, dehonestabit et pervertet. Si enim oculos direxeris, mi sponse et sponsa, ad elegantem corporis speciem, ad opes, ad honores aliosque scopos similes, procul aberrabis, et in teipsum graviter feries. Quorsum igitur collimandum? Audi celestem sponsum loquentem sponse, Cant. IV. *Vulnerasti cor meum soror mea, in uno oculorum tuorum.* Ad sponsum ergo celestem dirige aciem tuam, sed uno tantum oculo, ut ei solo placeas, ejus unius gloriam quæras, ne si ad plura collimet oculus et in varia diffundatur, a scopo suo aberrat; quam ob causam sagittarii etiam nonnisi uno oculo dirigunt sagittam: *Et fabros sæpe vidisse video, altero oculo melius adamussim ligna dirigere,* inquit Lucian. in Icaromenip. Ille igitur sponsus feliciter inchoabit et stabiliet nuptias suas, qui unico solum oculo ad Dei gloriam aspiciet, ut cum ejus benedictione proles acquirat, quæ cælestes sedes repleat: Deumque æternum laudent. Hunc scopum et hunc finem Deus proposuit primis nostris parentibus, cum dixit Gen. IV. *Crescite et multiplicamini, et replete terram et subdite eam.* Ut enim advertit ibi S. Chrys. primum illud: *Crescite et multiplicamini,* etiam brutis dictum est; sed postremum hoc: *Subjicite eam,* solis hominibus, quia nimirum ut Rupertus abbas ibidem ait: « Primum quidem commune est electis et reprobis, qui omnes eodem modo nascendo pariterque vivendo replent terram. Sed in eo discernuntur, quod sequitur: Et subjicite eam. Soli namque electi, quorum est terra viventium hanc terram quam corporibus repleverant, libertate animorum sibi subjiciunt. Quippe qui solum Deum præponentes terrena omnia fortiter contemnunt. » Quando igitur

perspeximus quas ob causas sæpe lætissimæ etiam nuptiæ desinant in planctum vinumque nuptiarum degeneret in lacrymas, viderit unusquisque ne in hos scopulos impingat. Invitet Christum ad nuptias; et ipsius gloriam si non prorsus unicam, saltem primario sibi præfigat; ut ita nunquam deficiet vino, semper lætetur ac denique palmam in cælo victor obtineat.

## CONCIO XVI.

TRIA MATRIMONII BONA TEMPERANTUR ANNEXIS MISERIS, UT MEL SAMSONIS APUM ACULEIS.

Quoniam usu receptum est adhibere in nuptiis paranymphum, qui sponsam adducat sponso, ad exemplum, ipsius Dei creatoris nostri, qui Evam matrem nostram adduxit ad Adamum, dabo vobis, novi conjuges, ego hujusmodi paranymphum sane fortem et florentem, et quod caput est nuptiarum expertum, Samsonem, qui non modo sponsam ducere ad sponsum, sed etiam per amorem agglutinare possit. Ducturus ille sponsam e terra Philistinorum, descendit cum parentibus in Thamnatha nuptias celebraturus. Sed ecce in ipsa via occurrit ei leo sævus et rugiens; quis hic non metueret? Quis a nuptiis non resiliat? Verum quia spiritus Dei irrui in Samsonem apprehendit ille leonem et dilaceravit atque discerpit eum. Postliminio reversus ad eundem locum reperit in ore leonis examen apum cum favo mellis; quem ex parte ipse comedit, ex parte ad parentes detulit; ita habetur, Jud. XI. Quod sponso Samsoni contigit, hoc et sponsis aliis contingere videtur. Ad nuptias illi prope rant, sed in ipso suo itinere leonem obvium habent, sævum et rugientem ac dira minitantem; quem describit apost. I. Cor. VII. cum de nuptiis ait: *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi,* curas scilicet et labores cum uxore, liberis, vicinis, propria carne, etc. Quid igitur? Resiliendumne a cæpto matrimonio et divertendum alio? Non ego dico hoc, sed suadeo arripiendum esse leonem ac dilaniandum. Gerit enim in rictu oris, licet formidando, aliquid dulcedinis, et mellea quædam bona, conjuncta matrimonio, tametsi non sine apum aculeis. Quæ nunc exponemus.

I. Tria nuptiarum bona enumerant theologi cum D. Aug. I. IX. de Gen. ad lit. c. VII. scilicet fidem, prolem, sacramentum: *bonum nuptiale,* ait Aug. *tripartitum est, fides, proles, sacramentum.* Primo, in sacramento attenditur ut conjugium non separetur, ait idem, quemadmodum et

Christus ab Ecclesia nunquam separatur: ejus conjugii signum, ideoque sacramentum est matrimonium, a Christo ita nobilitatum et gratia confortatum, ut in hoc statu indissolubili conjuges sævius cohabitent, et fortius perseverent: quod absque peculiari Dei gratia difficillimum peneque impossibile foret, ut agnoverunt Christi discipuli, Matth. IX. cum audita conjugii insolubilitate dixerunt: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Propterea Christus in nuptiis Canæ vinum ex aqua fecit, ut ostenderet matrimonium ante adventum suum nonnisi hydriam aqua frigida plenam fuisse: per ipsum vero in vinum, quod corroborat et lætificat hominem suavissimum conversum esse. De conjugii veteris legis dici jure poterat: *Vinum non habent.* Modo vero dici potest: *Haurite nunc, etc. Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc,* Joan. II. Cæterum nostri conjuges dent operam imprimis, ut corda sua disponant ad percipiendam illam singularem gratiam: disponant inquam per confessionem et communionem, evacuent ab omni peccati gravis affectu. Quomodo enim hoc oleum pretiosum recipietur in eo vasculo, quod aqua sordida repletum est? Quomodo hoc balsamum in fetente testa? Deinde obarment se fortissimo proposito non egrediendi ex hoc statu tam sancto, qui sanctissimæ illius et quidem duplicis conjunctionis, Dei Filii cum humana natura rursus Christi cum Ecclesia, signum est et sacramentum. Imitetur pugilem illum Democratem, qui, ut refert Ælian. lib. IV. var. hist. c. XV. « Cum ex pedibus laboraret ad certamina venit: et consistens in stadio descripsit sibi circulum, et jubebat adversarios ut se expellerent extra lineam. At illi cum nequirent, victi sunt, et ipse cum bene et fortiter in statione sua persistisset, coronam secum deportavit. » Intrastis et vos, o conjuges novi, in hujusmodi stadium, et descripsistis vobis circulum inviolabilis conjugii, e quo egredi non liceat. State igitur et armate vos firmissimo proposito, hinc non egrediendi in quacumque adversitate, nec pedem inde movendi, donec alterum mors expellat. Irruet in vos spiritus Dei, quemadmodum et in Samsonem, ut possitis leonem illum *tribulationem carnis,* discerpere, et superare, indeque mel celestis consolationis extrahere.

II. Secundum est fides, qua conjux conjugii adstringitur, ut ipsi adhærere in thalamo, deinde assistere in rebus tam adversis, quam prosperis obligetur. Quæ duo suum mel habent. De prioris fide seu fidelitate ait Salomon, Pr. V. *Bibe aquam de cisterna tua, et fluent putei tui.* Quænam hæc cisterna et puteus? Id explicat mox, cum

subdit: *Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ.* De hac etiam loquitur apostolus I. Cor. VII. *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque virum suum habeat.* Subdit tamen: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Quem textum explicans S. Chrys. hom. Quales uxores sint ducendæ ait: « Non dixit, ut evitetur paupertas, et parentur divitiæ; sed quid? Ut scortationem evitemus, ut moderemur concupiscentiam, ut vivamus sobrie, ut Deo placeamus, contenti uxore propria. Hoc nobis affert conjugium, hic ejus fructus, hoc inde lucrum est. » Hinc matrimonium a S. Gregorio appellatur portus navigantium, in quem a fluctibus se recipere possunt. *Admonendi sunt cælestes,* inquit, III. p. pastor. admon. XXVIII. *ut si tentationum procellas cum difficultate salutis tolerant, conjugii portum petant,* ne videlicet castitatis naufragium subeant. Comparatur et ibidem civitati parvæ Segor, in quam se recepit Loth ab incendio Sodomæ, postquam recusavit asylum in monte quærendum, Gen. XIX. *Sodomam fugere,* ait Gregorius loc. cit. *est illicita carnis incendia declinare: altitudo vero montium munditia est continentium.* Segor seu parva (id enim sonat Segor) civitas est conjugium, posita in humili loco, non in monte continentiæ. Unde subdit Gregorius: « Quasi parvam civitatem inveniunt conjugati, in qua ab ignibus defendantur, quia conjugalis hæc vita non quidem in virtutibus mira est, sed ea a suppliciis secunda, etc. » Propterea etiam civitas Segor: « Dicitur juxta esse, et tamen ad salutem tota prohibetur, quia conjugalis vita nec a mundo longe divisa est, nec tamen a gaudio salutis aliena, » ait Gregorius ibidem. In hac ergo civitate bibant conjugati aquas suas; sed bibant soli, nec admittant alios; uti subdit Prov. V. *Sapiens: Bibe aquas tuas solus, nec sint alieni participes tui.* De posteriore fide, qua alter alteri ad assistendum obligatus est, quæque etiam suum mel habet, speciose loquitur Ecclesiasticus, c. XXXVI. in hunc modum: *Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem, h. e. incipit fieri dives, adjutorium secundum illum est, et columna, ut requies.* Vel ut est in Græco, *columna requietis;* tum quia dum vir domo abest, securus est de re familiari, quæ tam uxori cordi est, quam sibi; tum quia cum peregre domum redit, uxor illi solatio est; tum denique quia in ipsa solide subsistit et conquiescit, quia alioquin forsam vagam ageret vitam. Post hæc addit Sapiens: *Ubi non est sepes, diripitur possessio: et ubi non est mulier ingemiscit egens.* Itaque uxor est quasi sepes et vallum facultatum viri, sine quo diripiuntur ejus bona:

ut experiuntur viri cœlibes. Facit ergo, juvatque uxor ad ditandum maritum. Neque solum hoc, sed præterea inservit et assistit illi in necessitatibus. Nam ut ait Eccl. c. IV. « Melius est duos esse simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulciatur. » soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei. » Habent ergo, ut dixi, mei suum conjugati: non tamen sine aculeis apum, quæ simul cum melle illo reperitæ fuerunt a Samsonē in ore leonis. Possunt enim sibi auxilium ferre, si industrii et concordēs sint: possunt et perniciem afferre, si ignavi et discordes sint. Unius enim calamitas etiam alterum affligit: et si ambo calamitosi sint, quis assistet illis? Sint ergo uterque sepes et vallum domorum suarum, nisi pro melle aculeos experire veint. Hæc et alia plura incommoda expēdentes ii, qui cœlibatum eligunt, non emunt tanti penitere.

III. Est proles hæc prædulce mel: quæ et ipsa tamen multum sæpe fellis parentibus propinat. Nam, ut ait Sapiens, Proverb. X. *Filius sapiens lætificat suum patrem: filius vero stultus mœstitia est matris suæ.* Et rursus c. XV. *Filius sapiens lætificat patrem, et stultus homo despicit, h. e. (despici facit) matrem suam.* Quis autem est filius sapiens, nisi qui honesti tenax? Quis stultus, nisi qui corruptis moribus? Optimus ille filius Isaac, Jacob, dulcissimum mellis favum attulit parentibus (quemadmodum et Samson partem favitulit patri et matri) quando se morigerum et innocentem exhibuit. Unde pater cum gaudio in ejus benedictionem prorupit hisce verbis: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus,* Gen. XXVII. Fuit autem hic odor non tam vestimentorum, quam virtutum, quæ in filio redolebant, quasque exponit S. Ambrosius, l. II. de Jacob et vita beata, c. I. « Quam continens erit parcimonia, qui cibum sibi paratum non expetivit, sed petenti patri sine dilatione concessit, a quo primatum benedictionis accepit? Quam pius erga parentes, ut præferri germano seniori, materno affectu mereretur et paternæ benedictionis munere sacraretur? Quam religiosus, ut fratrem recusaret lædere? Quam reverens parentum et honorificus, ut matri, quod jubebat, non posset negare? » Sic Ambrosius. Hæ sunt vestes filiorum, quæ recreant parentes: hoc mel, hic favus, qui dulciter illos pascit. Ita pavit patrem filius ille nobilis, qui nuper Lisabonæ cum maximo comitatu deductus ad cœnobium, et admirabili alacritate mundo valedicens, religionique sese mancipans, tam

suavi odore patrem suum afflavit, ut is in lacrymas prorumpens diceret: *Alius jam nunc ero, novam instituam vitam, utique filii pater,* uti refert pater Fernandus, in cap. XXI. Gen. testis facto præsens. Sic etiam S. Augustinus quasi melleo favo recreavit matrem Monicam, quando non solum e Manichæo Catholicus, sed etiam religiosus factus est. Exinde mater jam nil amplius in mundo desiderans, mori exoptavit, in confess. S. Augustini.

Cæterum hoc mel sæpe in fel convertitur parentibus quando vident perverti filios, teste Salomone, Proverb. XVIII. *Dolor patris, filius stultus.* Id quod ipse in filio suo Roboamo quasi prævidens sensu; unde et dixit: « Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me quem nescio, utrum stultus an sapiens futurus sit, » Ecclesiast. II. Quid si scivisset stultum futurum et regnum perditurum?

Quare, o novi conjuges, omnem movete lapidem, ut liberos, quos cum tempore habituri estis, in timore Dei educetis; atque ita mel suave ex ore illius leonis, qui tribulat vos extrahere et cum sponso cœlesti dicere possitis: *Comedi favum meum cum melle meo,* Cantic. V. Universim denique observate diligenter id, quod Salomon, Proverb. XIV. monet: *Mel invenisti? Comede quod sufficit, ne forte satiatus evomas illud.* Omne nimum vertitur in vitium; et muscæ quæ nimis avidæ mellis, involant in illud, inviscatæ hærent pereuntque. Deinde mel sæpe continet intra se apes emortuas, quæ mel acerbum reddunt. Ita Sanctus Chrysostomus, homilia II. in Marcum: « Mel inquit, videtur hinc inde confectum esse de floribus; sed si respicias inter ipsos flores, et cadavera et putredines habet. Mel igitur videtur quidem suave esse, sed discrimen respicias, mortiferum est. » Certe in melle conjugum cadavera etiam latent: jam moritur filius, jam filia, jam mater: o quantum hic fellis et amaritudinis! Quam ibi sæpe auditur: *Beata steriles, quæ non pariunt?* Quapropter revocate in memoriam Balaami illius apologum, de unicorni, qui insectum fugientem hominem, impulit in foveam altissimam plenam mortiferis serpentibus. Porro in ipso casu arripuit homo ramum fortiterque tenuit, ne in foveam decideret: dum ita pendulus hæret, videt mellis aliquid e ramo defluere, quo se recreavit et vires refecit: cæterum vidit etiam superne duos mures album et nigrum ramo ad hærentes, dentesque infigentes, quo nimirum ramum ab arbore researent. Refert D. Damasenus, in vita Balaam et Josaphat talis est vitæ vestræ cursus. Unicornis est mors, quæ fugien-

tem hominem undique persequitur. Cadit homo in foveam, dum quotidie aliquid de vita sua perdit et morti appropinquat. Interim melle aliquo fluxuque temporalis vitæ dulcedine sese sustentat, sed ecce duo mures, dies et nox, albus et ater, vires corporis continuo debilitant, donec omnino resecent. Et quid vobis superest, nisi sepulcrum quod omne mel absorbet? Memores igitur estote mortis, ne nimirum satiati melle conjugali evomatis illud magno vestro damno, quod a vobis avertat Deus.

## CONCIO XVII.

CONCORDIA INTER CONJUGES, VELUT SUAVIS LYRÆ SONUS, QUÆ RATIONE PARANDUS ET CONSERVANDUS, EX ANTIQUORUM SOMNIO.

Antiqui crediderunt, si quis nuptiarum tempore lyræ in somnio vidisset, concordiam inter novos conjuges stabiliendam per eam designari, teste Pier. l. XLVII. hierogl. Propterea quod lyra suis numeris constans concinnum sonum reddat: quemadmodum et in conjugio nihil suavius resonat, quam concordia conjugum, ut testatur S. Chrys. hom. XXXVIII. in Gen. in hunc modum: « Quando concordia et pax et vinculum dilectionis cum muliere et viro fuerit, omnia simul affluunt bona, et nullis insidiis expositi sunt, magno et inexpugnabili quodam muro circumdati, sua juxta Dei præceptum concordia. Hoc ferro fortiores eos reddet, hoc omnibus divitiis magis locupletabit, hoc supernam eis gloriam conferet, hoc et Dei benevolentiam eis ubertim conciliabit. Tunc et filii, qui nascuntur, virtutem sequentur quos imitabuntur et servi et undequaque domus florebit, eritque multiplex rerum prosperitas. » Ecce quantum bonorum cumulum prædicat hic sanctus pater conjugum concordia! Felix igitur somnium, quo sponsus vel sponsa lyræ istam somniat. Cæterum quam cito sæpe, et quam facile lyra hæc delirat, et hiulecum sonum edit? Patuit in Adamo et Eva primis omnium conjugibus. Et enim Adamus conspecta primum et adducta sibi uxore mox eam adamavit lætitiæque gestiens dixit: *Hoc nunc os est ossibus meis,* q. d. apage animantia bruta. hoc mihi placet, quia mihi similis, Gen. II. Verum ubi ab uxore se deceptum vidit; jam totus ab ea alienus, vix uxorem agnoscit; sed mulierem appellat, et velut ream nunc accusat, culpamque a se in ipsam demolitur. « Videamus nunc, inquit S. Ber. ser. I. in f. om. ss. quantum diligas eam: oppone te dis-

crimini propter illam, et dic: Domine mulier infirmior est, mulier seducta est, mea est iniquitas, meum peccatum, in me solum vindicta procedat. Sed non loquitur sic. Mulier, inquit, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno et comedi, Gen. III. » Ecce dissidium: loquitur jam de uxore, quasi non novisset eam. Quare videamus, an qua ratione conservari in conjugio magnum illud bonum et sonus gratiosæ lyræ, concordia, inquam, possit.

I. Ad hoc conducet, si vir uxoris postulatis, non iniquis, facile annuat et infirmitati ejus condescendat; quo modo Abraham Saræ petenti, ut ancilla discordiæ causa e domo ejiceretur, placide sensit dicens: *Ecce ancilla in manu tua est,* Gen. XVII. Ubi D. Chrysost. hom. XXXVIII. ait: *Hæc in uxorem indulgentia pace domum replevit.* Deinde uxoris defectus toleret, multa dissimulet, pauca notet ac perstringat. Qui enim nescit dissimulare, nescit regnare. Uxor etiam studeat viro assensum dare in quibuscumque rebus licitis. Audiant rursus Chrysost. hom. IV. in II. ad Titum: « Præcipuum, inquit, illud est domesticæ pacis ac bonorum omnium fundamentum, si uxor viro per omnia consentiens sit. Nam ubi hoc fit, nihil triste contingere potest. Quo pacto enim cum caput corpori connexum conjunctumque sit, ulla ibi seditio, ulla dissensio possit exoriri? Necessario profecto omnia reliqua in pace sunt. Principibus namque pacatis, quis jam pacem dividere possit ac discindere? Quemadmodum e contra his invicem dissentientibus nihil salubre esse poterit totaque nutabit familia. » Scimus vulpes illas trecentas quas caudis colligavit Samson, capitibus in diversa tendentibus cum dimissæ fuerunt et seipsas perdidisse et vastasse Philistinorum segetes, igne, quem in caudis gerebant hinc inde disperso, Jud. XIV. Idem agent conjuges, si carne solum colligati, animis sint discordes. Non enim seipsos dumtaxat remque suam familiarem disperdent, verum etiam totam domum ac domesticos omnes conturbabunt. Ignem hunc ipsi excitant, dum duris suis cervicibus inter se concurrunt. Quis enim nescit e chalybe et filis collisis ignem accendi.

II. Multum juvabit, si alter silere et cedere noverit, altero contentente vel tonante. Hac arte conservavit pacem et concordiam cum jurgiosa sua Xantippe Socrates. Invitarat is aliquando ad mensam Euthydemum, et intervenit Xantippe consuetis suis jurgiis et querelis contra maritum, mensamque evertit. Cernensid Euthydemus, cum indignatione surgit e mensa parans abitum. Cui Socrates: *Nonne nuper apud te idem fecit gallina*